

in castris sive campis adversus haereticos et eorum fautores fuerit, vel ante aut post officium solempne, prout in unaquaque dictarum ecclesiarum vel quolibet monasteriorum ad haec requisitorum magis communis videtur ac libuerit, servetur et habeatur missa votiva pro salute populi et exercitus dei. Et ante huiusmodi missam in accessu ad altare, antequam dicatur ‚confiteor‘, is qui missam celebrare debet, genibus flexis dicat ‚salvos fac servos tuos domine‘; tunc ministri respondeant ‚deus meus sperantes in te‘. Deinde legendo incipiat psalmum ‚exurgat deus et dissipentur inimici eius‘, et legatur usque in finem. Tunc etiam addatur psalmus ‚iudica domine nocentes me‘, qui habetur in secundo nocturno. Quo finito officians dicat istos versiculos ‚converte domine‘ usque quo chorus ‚tunc deprecabilis esto super servos tuos‘. ‚Nichil proficiet inimicus in eis, et filius iniquitatis non nocebit eis. Esto eis turris fortitudinis‘, chorus ‚a facie inimici‘. ‚O domine respice in servos tuos et in opera tua‘; chorus ‚et sit splendor domini dei nostri super eos et opus manuum suarum dirige‘. ‚Mitte eis auxilium de sancto‘; chorus ‚et de Syon tuere eos‘. ‚Domine exaudi orationem meam‘ etc. ‚Dominus vobiscum‘; ‚et cum spiritu suo‘. Tunc dicantur orationes: ‚Ecclesiae tuae domine preces placatus admitte‘ etc. Item ‚hostium nostrorum‘ etc. Item ‚omnipotens sempiternus deus, in cuius manu sunt omnium potestates‘, et ubi in illa ponitur ‚ut gentes paganorum‘, dicatur ‚gentes haereticorum et eis adhaerentes‘ et si quae similes ad hanc materiam deservientes habeantur. Deinde incipiat ‚confiteor‘ et officium ‚salus populi‘ contra tribulationes institutum, cum collecta ‚deus qui contritorum‘, aut si aliquid aliud officium magis conveniens habeatur pro victoria tempore belli. Item pro singulari devotione et inductione populi et compunctione laudabile est, ut ante praedictas collectas officians cum ministris erecta cruce versus populum incipiat antiphonam: ‚Ecce crucem domini, fugite partes adversae‘, et chorus proseguitur ‚vicit leo de tribu Juda, radix David. Alleluia.‘<sup>a)</sup> Omnibus autem et cantantibus et peragentibus dictum officium et in eodem interestibus usque ad finem et pro salute ac victoria exercitus Christifidelium orantibus, cuilibet de thesauro militantis ecclesiae dat centum dies indulgentiarum in forma ecclesiae consueta, praeterea omnibus et singulis sacerdotibus quacunque die, tempore quo exercitus dei in campis est imponentibus in missa supradictam collectam: ‚Omnipotens sempiternus deus‘ cum secreto et complenda suis dat et elargitur dictus dominus legatus quadraginta dies indulgentiarum. Datum Wratislaviae in domo residentiae dicti legati anno domini M. CCC<sup>mo</sup>. LXVII<sup>mo</sup>. die VI. mensis Junii. Sequitur oratio: ‚Omnipotens et misericors deus, qui pro consolatione Tobiae senioris angelum tuum filio Tobiae peregrinationis suae fidelem comitem deputare voluisti, maiestatem tuam suppliciter exoramus, quatenus eundem sanctum angelum tuum mittere digneris tuis fidelibus ad exterminandum christianae religionis perfidos turbatores, ut eius defensione muniti gloriosam contra ipsos victoriam pro exaltatione catholicae fidei valeant obtinere‘. — Secretum post sacrificii oblationem: ‚Clementissime pater armis tuae potentiae protegere digneris famulos tuos, qui contra haereticam pravitatem arma orthodoxae tuae fidei susceperunt‘. Complenda: ‚Sumpsimus domine redemptionis nostrae pignus aeternum maiestatem tuam humiliter deprecantes, ut sua virtute haereticorum potentiam conterat, quatenus propugnatorum tuorum brachio devicti ad sanctam matrem ecclesiam catholicam et apostolicam et veritatis tuae redeant unitatem‘. Dat. ut s. sub sigillo Stephani Henlini quo utitur causarum executoris.

Nach Abschriften von Grundmann cod. dipl. ep. Misn. VIII. 3093 und von Ursinus dipl. Misn. I. 476 ex libro Theodorici fol. 324<sup>b</sup>.

a) Zu dieser Antiphonie sind die musikal. Noten beigegeben.

## No. 1092. 1467. 25. Juni.

*Nickil von Boytitz zu Yawirnitz in der Heynischen Pflege gesessen (Gävernitz, Par. Lenz) beurkundet für sich, seine ehel. Wirthin Catherina und seine Erben, dass er mit Bewilligung Petir Vocks Vicars der Vicarie S. Wenzeslai in der Domkirche an den B. Dietrich, seinen gnü-*